

## De bellorum inter Henricum IV. et Saxones gestorum causis et origine.

Regia potestas, quae diviso Carolingorum regno in Germania constituta erat, quum primis temporibus non tam suis copiis firma quam a ducum voluntate suspensa esset, fieri non potuit, quin in quibus regibus aliquid nervorum inesset, ii innatam vim potestatis illius explicaturi, munus suum ad id, quod suapte natura et indole esse debet, summam dico et supra omne fastigium elatam potentiam, omnibus viribus evehere studerent. Quare inter reges et duces Germaniae numquam intestinorum motuum causa deerat, regibus conantibus, fines regiae potestatis latius in provincias proferre et membra haec segregata paene a regni corpore arctiore vinculo cum eo copulare, ducibus contra et principibus, qui non genere, sed gradu tantum et opibus a regibus differebant, vel maxime nitentibus, ut interrupto regi olabore et provinciarum libertatem tuerentur et ipsorum auctoritatem etiam cum regni detrimento auferrent. Tandem Henrici I. et Ottonum auspiciis coepit res imperii superior evadere, et postquam Henrici II. imbecillitate aliquantum a proposita deflexa est, nova incrementa cepit Salicorum imperatorum Conradi II. et Henrici III. vigore, qui etsi non sanguinis, tamen studiorum quaedam cognatione adducti in Ottonum vestigia ingrediebantur.

At quamvis etiam feliciori, quam Ottones, eventu principum auctoritatem reprimerent, ne Henrici III. quidem virtuti contigit, ut in Saxoniam sibi aditum muniret. Saxones enim, ex Caroli magni temporibus suarum legum munimentis saepti iisque a ceteris regni partibus diremti, cum ingenita quadam animi pertinacia in statu rerum civilium iuribusque a patribus acceptis haerebant, eaque maxima cum aemulatione a Salicorum regum tentationibus tuebantur. Quo in studio temporum opportunitate adjuti sunt, quum Henricus III., Bernardo Saxoniae duce ejus superstite, impediretur, quominus ducis munus, ut in aliis provinciis prorsus tolleretur. Saepius quidem rex in Saxonia commoratus est, praesentia sua populi ferocem refrenaturus, sed, ut omnino jam sub extremum vitae tempus omnibus principibus suspectus erat, <sup>1)</sup> ita tantum sibi inde Saxonum odium collegit, ut vitae ejus a Thiedmaro comite <sup>2)</sup> insidiae struerentur; et solo regis timore prohibitum est, quominus a clandestinis conjurationibus res ad apertam seditionem veniret.

Tantum igitur aberat, ut principes prorsus profligati essent, ut Henrico mortuo, quum regnum tutore indigeret et mulier <sup>3)</sup> expers virilis animi, quo dubiis illis temporibus

1) Herrmannus Augiensis 1053. Lambert 1057.

2) Lamb 1048. Adamus Bremensis 3, 8.—

3) parum acute Lambertus de Agnete Judicat, recte Adamus, 3, 33: magno cum detrimento regni

opus erat, ad regni gubernacula accessisset, novam spem recuperandae pristinae libertatis caperent. Regina, quam ad opprimendam principum audaciam vires deficiebant, accommodatione eos delenire et jura muneraque ab Henrico III regno parva iis concedere coacta est. Saxones autem tempus esse rati, odium in patrem conceptum effundere, filium „ne in patris vestigia incurreret,“ deponere, <sup>1)</sup> quumque toti Salicorum stirpi, ut extraneae honorem regni inviderent, regium munus suo populo reddere statuerunt, ne que ab ipsa regis vita temperatum foret, nisi seditio oriens, signifero per invidiam caeso, exstincta esset. Sed de regia auctoritate ex eo tempore in Saxonia actum erat.

Omnino regia potestas illo tempore inter manus ambitiosorum principum, qui deinceps in breve tempus rerum potiti sunt, huc illuc jactata ita jacuit, ut nunquam antea; neque auctoritas solum, sed etiam opes regni profusae sunt, quum principes, omnia publicorum commodorum cura suis tantum consulentes ex dissipatis regni beneficiis tum sibi opima quaerent, tum ceteris, ut invidiam eorum sedarent, largirentur. Sed ne ita quidem prohibebant, quominus dolo seu vi ab aemulis loco deturbarentur.

Quum Henricus episcopus Augiensis primum una cum matre regnum gubernasset, famosa illa conjuratione a. 1062, regimen rerum, quamvis statutum esset, id per vices ab episcopis teneri, ad Annonem transiit, a quo non solum in Germania, sed etiam in Italia, Cadalao papa, in Alexandri favorem derelictus, regni commoda prodita sunt. —

Ab Annone, ceterorum principum invidiam metuente, Adelbertus Archiepiscopus Bremensis in gubernandae rei publicae societatem accitus est, a quo propter eam qua erat episcopatus, conditionem major regiae potestatis cura expectanda fuit.

Etenim episcopi ecclesiae Bremensis majorem in Saxonia potentiam consecrantes, quum perpetuis principum tentationibus obnoxii neque suis praesidiis satis fisci se ad regum societatem applicuissent, <sup>2)</sup> non minorem in invidiam inciderant, quam reges ipsi. Regum enim speculatores principibus Saxoniae esse videbantur, qui loca explorarent et viam quasi munirent regibus in hanc provinciam usque eo reclusam et inaccessam. <sup>3)</sup> Eodem modo Adelbertus quum efficere conaretur, quod per se nequidquam tentasset, ut Wirceburgensis praesulis exemplo omnem judicalem potestatem ducum et comitum in episcopatu suo tolleret, <sup>4)</sup> arctissimam cum Henrico III. amicitiam iniiit. Quam quum jam per se suspectam haberent duces, detecta ab Adelberto Thietmari comitis conjuratione, tanto in episcopum odio exarserunt, <sup>5)</sup> ut Henrico mortuo agros ecclesiae Bremensis vastarent; <sup>6)</sup> quumque Adelbertus ex Ungarico bello revertisset, iterum Herimannus comes incursionibus ecclesiae fines infestabat, <sup>7)</sup> ut beneficium quoddam nequidquam petum vi ab Adelberto extorqueret. Illo tamen tempore episcopus, quum jam in curia auctoritate sua valeret, regis auxilio effecit, ut Herimannus in annum exsilium mitteretur. Quare quum quies a Saxonum armis ecclesiae Bremensi non nisi regis ope expectari posset, fieri non potuit, quin Adelbertus regiam potestatem per principes debilitatam ex intimo corde lugeret. Sed ne is quidem quamvis singulari erga regem

1) Lambert 1057.

2) Adam Br: 2, 46: ex illo enim tempore, quo dux constitutus est in hac regione, nunquam discordia cessavit inter geminas domos, scilicet archiepiscopi et ducis, illis impugnantibus regem et ecclesiam, istis pro salute ecclesiae et fidelitate regum certantibus.

3) Adam. 3, 5.

4) Adam. Br. 3, 5.

5) ejus mortem dux Germanus et filii ejus acerrime zelantes in episcopum ipsum letali odio persecuti sunt.

6) patre Bernardo vivo, igitur anno 1057 seu 1058, quum ille 1059 obierit. — Ad. Br. 3, 42.

7) Ad. Br. 3, 43.

fide a ceterorum turba differret, <sup>1)</sup> regia jura satis tuebatur, Etenim vanam patriarchatus in septentrionalibus Europae partibus instituendi potestatem aucupans, <sup>2)</sup> regni partes in Italia <sup>3)</sup> sibi praeripi passus est; in Germania vero tantum abfuit, ut regias opes auget, ut ne suum quidem locum obtinere posset. Nihil enim praesidii regno adjiciens, intempestivis in minationibus et aculeatis facetiis <sup>4)</sup> quibus principes parum caute pungebat, acquievit; a quibus rebus, quamquam principibus a socordia ejus nihil periculi erat, tantum eorum in se concitavit odium, ut eum, qui se omnium principum opes fracturum gloriatus esset, e somniis <sup>5)</sup> exturbatum Triburino conventu ipsum frangerent. 1066.—

Expulso Adelberto iterum rerum summa nomine quidem mutuo ad episcopos, revera autem ad Annonem rediit; provinciae a singulis principibus gubernabantur. Jam quum breviante expulsum Adelbertum ne consueta quidem obsequia regi praestita essent, <sup>6)</sup> ita ut victum etiam pretio emere coactus esset, Ordulfus et Herimannus, audita Adelberti clamitate, nihil antiquius habuerunt, <sup>7)</sup> quam ut iterum agros ecclesiae Bremensis depopularentur. Episcopus magna agrorum parte adversariis beneficii loco concessa vix prohibuit, quominus prorsus episcopatu expelleretur. Luculenta sane documenta, in quam misera et parum decora conditione regia potestas illo tempore fuerit, quantum de ea per principes detractum sit. Atque in tam afflictis rebus, quum Henrico vires non sufficerent, ut rebus Adelberti, cui arctissima amicitia adjunctus erat, subveniret et nobiles Saxoniae a turbanda publica provinciae pace prohiberet, <sup>8)</sup> profecto neque locus neque facultas injuriarum Saxonibus inferendarum fuit. Quam quidem ob rem non possum, quin culpam novarum dissensionum inter regem et Saxonicos principes Saxoni-tribuam, qui ne id quidem pati voluerunt, ut rex firmanda pace publica omnes maneris suae bus partes expleret, nimirum veriti, ne debilitata regia autoritas ex hac re nova incrementa caperet. Tanta igitur in regem accensi sunt ira, ut iterum eum expellere molirentur; <sup>9)</sup> quod ne fieret, sola ducis penuria, intestinis principum discordiis denique Slavorum defectione et incursionibus, quibus Saxonia tum premebatur, <sup>10)</sup> prohibendum esse apparet. Tandem a. 1069 de pace publica instituenda inter regem et Saxones convenit, <sup>11)</sup> neque tamen, ne nova contra regem bella moverentur, ea cautum est.

Quo modo quum rex undique importuno Saxonum libertatis studio urgeretur, non infitandum est, neque ipsum ubique prudenter et pro tempore egisse, atque incuria temeritateque id effecisse, ut veteribus hostibus novi accederent. Ita uxorem, quam suadentibus principibus duxerat, juvenieti cum indignatione aegre ferens, ad exigendas pro Sigefrido, Moguntino

1) Adam. Br. 3, 36: Imperium pro jure non pro commodo tuebatur, 3, 46: —quia dominum et regem suum inter manus irahentium non posset videre captivum.

2) Ad. 3, 32. 38.

3) Jure Benzo ejus socordiam castigat. 3, 7.

4) Adam. Br. 3, 39: inter epulandum familiare habuit magnos viros carpere, notans in aliis stultitiam, in quibusdam avaritiam. —

5) Adam. 3, 46. — metropolitanus noster quaedam aurea secularenovaturus, cogitasse fertur perdere — omnes qui in regem manus miserunt. —

6) Lambert 1066.

7) Adam. 3, 47. 48.

8) Bernold. 1067. Saxonia laborat civili discordia. — histor. de bello saxonico: lib. 1. — Vita Henrici — haec pertinent potissimum ad discordias inter Adelbertum et Saxones ortas. —

9) Bernold. 1068. rex adolescentiae suae errore seductus legitimaе conjugis adeo obliviscitur, et tam nefandis criminibus involutus esse diffamatur, (de quibus infra disseram) ut etiam principes ejus eum regno privare molirentur.

10) Adam. 3, 49. 50: dux noster Ordulfus, in vanum saepe dimicans, numquam potuit victoriam habere, totiensque a paganis victus, a suis etiam derisus est. —

11) Bernold. 1069: pax et reconciliatio in populo in natali Domini apud Goslar regali edicto sub sacramento sunt confirmatae. —

episcopo in Thuringia decimas delatus est, <sup>1)</sup> ut opem ejus ad abjiciendum hoc onus sibi acquireret. Id, quod vix dici potest, quantum in insequentem ejus vitam momentum habuerit; nam et papa ad augendam auctoritatem ea occasione usus est, et Thuringi maximum inde contra regem odium conceperunt. Semper illo ex tempore Saxones eos seditionum socios habebant.

Jam non ita multo post Dedi <sup>2)</sup> marchio et uxoris insolentia et Saxoniorum principum <sup>3)</sup> in regem invidia stimulatus, quum confideret Thuringorum ira et auxilio, nulla alia ex causa, nisi quod rex ei quaedam beneficia denegaverat, arma contra regem cepit. Ad famam hujus seditionis rex, callide Sigefridi episcopi in Thuringos odio in suos usus converso, quum celerrime exercitum collegisset, mirum est dictu, quanta cum celeritate Dedonem invaserit castella ejus fregerit ipsum denique, postquam Thuringos pollicitationibus sedarit, adempta spe resistendi ad deditorem coegerit.—

Maximi in republica gubernanda momenti eo tempore Otto, <sup>4)</sup> dux Bavariae fuit, sed ne is quidem eam, quae Adelberto et Annoni contigerat, sortem evitavit. Proditionis enim in regem a quibusdam, qui ei honorem invadebant, accusatus est. De quo complurium seditionum auctore et socio quum rex per se jam male existimasset, veritus praeterea, ne opibus et auctoritate, qua apud principes regni valebat plurimum, ad ipsum regnum usurpandum abuteretur, <sup>5)</sup> facile inimicorum ejus sollicitationibus adductus est, ut Egenonis, abjecti et scelerati hominis insimulationibus nimum fideret. Moguntiaci igitur quum Ottoni coram principibus, quid delatum esset, exposuissent, Goslare eum venire jussit, ubi—sicut temporis consuetudo ferebat—singulari certamine cum accusatore ineundo innocentem se probaret. Quod quum facere tergiversaretur <sup>6)</sup> Otto, rex crimen pro certo exploratoque arripens, iudicio principum Saxoniorum habito eum perduellionis condemnavit.— Bello per totum paene annum ducto tandem Otto dux et Magnus, filius Ordulfi, qui cum Ottone arma junxerat, Eberhardi comitis <sup>7)</sup> et Adalberti archiepiscopi <sup>8)</sup> intercessione, ut se dederent regi, permoti sunt. Rex, alio die Ottoni restitutus, ducatu eum et beneficiis privavit, <sup>9)</sup> Magnum autem, qui nulla a rege lacesitus injuria arma contra eum ceperat, captivum retinuit.— Henricus igitur quamvis in hac causa haudquaquam a jure et usu forensi aevi illius recessisset, nimis tamen iracunde et inconsiderate eum in Ottonem consuluisse apparet, non quo hunc magis quam ceteros principes, regis commodis prospexisse putem, sed quod eo oppresso adversariorum partes in Saxonia nova incrementa ceperunt. Saxones enim, qui ex anno 1057 duce seditionum caruerant, novum ducem Ottonem nacti sunt, qui et regi infestissimus et propter fortitudinem imperatoriamque virtutem, qua omnes ceteros temporis sui principes longe superabat, periculosissimus erat; quumque antea duae in Saxonia essent partes, quarum altera cum Ottone sentiebat, <sup>10)</sup>

1) Lambert. 1069.

2) Lambert. 1069.

3) Eccard. Chronicon Universale: 1070: non sine Saxoniae principum consilio —

4) Lambert. 1070.

5) Eccard. Chron. univ. 1071.

6) Lambert 1070: Otto respondet: „se paratum esse venire, et conditione, quam principes regni aequam iudicassent, crimen repellere:“ tergiversatur igitur, certamen inire.— Eccard. Chr. Univ. 1071: Otto cum Egenone, utpote dux cum latrone —congreddi contempsit.— Berthold: 1070: quid dum facere nollet.

7) non Eberhardi de Nellenburg ut apud Stenzel legitur *Geschichte Deutschlands unter die fränk. R. I p.265.*

8) Adam. Br. 3, 30.

9) Bernold. et Berthold. 1070. —

10) Lambert 1070 Henricus principes, quos ei consanguinitate vel alia necessitate obnoxios noverat, aut acceptis obsidibus aut jurejurando, ne ad eum deficerent, obligavit.

altera auctoritatem ejus aegerrime patiebatur, 1) Ottonis impulsu postea factum est, ut utraque pars communi in regem odio inflammata in unum coiret. 2)

Aliud atque Lamberti et Eccardi 3) Aventini de Ottone judicium est, quod Giesebrechtius ex Annalibus Altahensibus petiit esse persuasum habet. Sed in hac omni de Annalibus Altahensibus, quos Giesebrechtius ex Aventino restituere conatus est, disquisitione, haud scio an passim erraverit et Aventini figmenta pro Annalium Altahensium narratione acceperit. In Aventini enim historia, quamvis eam pro illo tempore satis accurate scriptam esse appareat, tamen non pauca insunt, in quibus sollertis scriptoris diligentiam desideres. Qui ubi rerum copia obrutus est, multa ex arbitrio omisit, ubi autem fontes non suffecerunt, ea quae ab autoribus praetermissa sunt, non dubitavit suo Marte explere. Quare perdifficile est, quae ex quoque fonte petiverit, satis accurate inter se discernere; neque mirum, quid causae sit, cur Giesebrecht nonnulla ab ipso Aventino ficta vel ex aliis scriptoribus hausta ad Annales Altahenses retulerit. Equidem censuerim, eos omnino non uberiorem temporis illius historiam de Germaniae rebus suppeditasse, sed minorum Annalium instar e brevibus notationibus constitisse.

Aventini de Dedone narratio quae a Giesebrechtio ad Annales illos refertur, prorsus cum Lamberto convenit, additis tantum nominibus Albert et Newburg. 4)

Ottonem bello interfuisse et otiosum se spectatorem praebuisse haud dubie Aventinus commentus est. Annales Altahenses de Bavariae rebus deque Ottone, quippe qui dux Bavariae fuerit, fusius scripsisse et Aventino nonnulla subministrasse 5) non a fide abhorret, attamen plurima, quae ab Aventino de Ottone referuntur, paucis ex arbitrio immutatis, ab eo, Lamberto duce, expressa esse facile est demonstratu. — In initio narrationis de Ottonis prodicione Aventinus nimio partium regis studio praecoccupatus, quum sibi persuasum haberet de Ottonis culpa, de industria praetermisit, quaecunque in Ottonis gratiam a Lamberto dicta sunt. Eadem de causa Lamberti de moribus Egenonis locum omisit, tum illud reticuit: 6) „rex principes Saxoniae sententiam super eo rogavit, quod ex his oriundus esset et hi propter privatas inimicitias eum maxime invisum haberent“ praeterea multa id genus alia, quae enumerare longum est. Neque dubium mihi est, quin etiam illud Aventini, Ottonem a rege Goslare ad colloquium evocatum esse, quum Lambertus id Moguntiae esse habitum tradat, non ex Annalibus Altahensibus sed ex Lamberto parum diligenter lecto profecta sint. Denique Aventinus in extrema narrationis parte ea quae a Lamberto uberius referuntur, ex consuetudine in angustum contraxit. Quae quum ita sint, magnopere suspicor, ne ea, quae Aventinus de insidiis ab Ottone prope Luiticorum fines regi structis refert 7) ab ipso ex Lamberti verbis 8)

1) Lamb. 1070 rex principes Saxoniae, quod ex his oriundus esset et hi propter privatas inimicitias eum maxime invisum haberent.

2) Jam 1071 a principibus bellum propter privatum hominis amorem per ingenium trahi et segniter gestum esse, Lambertus scribit.

3) Eccard. Chron. Univ. 1071.

4) conf. Lambertum cum Aventini vernacula interpretatione p. 687, quae mihi sola ad manus fuit Giesebr. Ann. Altah. 1069.

5) Ita ea forsasse ex Annal. Altah. petita sunt quae de domesticis discordiis inter principes Bavariae ortis Aventinus tradit.

6) Lambert 1070: Pertz Monum. VI p. 177. Aventinus 689, Giesebrecht Annal. Altah. 1070.

7) de iudicio principum de Ottone convocato, Aventinus refert: Der Kaiser ließ das Salbuch herfürbringen und lesen das Capitel, darinnen begriffen steht, was der verschuldet habe, der sich wider den Kaiser verbunden habe. Giesebrecht verbum illud: Salbuch etiam mutavit in: salisches Geheß; fortasse intelligendae sunt leges palatinae quae (Lambert. 1075) „non tam leges scriptae quam receptae consuetudines fori in iudicandis causis principum fuisse videntur.“ Pertz ib. not. 75.)

8) Aventinus 687. Giesebrecht Annal. Altahens. 1069.—

9) Lamb. p. 177, „is crimen adversus eum detulit etc.—“

conficta esse. Sed ut haec revera ex Annalibus illis petita sint, tamen ne ita quidem iis fidem habere licet, tum quod monachi monasterii Althensis infesto in Ottonem animo fuerunt, tum quod ne haec quidem narratio alio autore atque Egenone isto nititur.

Jam supra explicatum est, principes dum aetas Henrici nondum matura erat imperio, regi solo nomine relicto, sibi ipsis regia munera vindicasse; quod quanto moerore Henricum affecerit, e verbis intelligere licet, quae Bruno eum de principibus loquentem facit: 1) „ecce isti sunt, qui regni divitias habent et me meosque in paupertate reliquerunt,“ rex igitur simulatque e pueris egressus est, patris Carolique Magni exemplo et doctrina Adelberti de regiae potestatis majestate instigatus, deposita puerili desidia, id summa omnium virium contentione intendit, ut quoad posset, regiam potestatem domi forisque oblitteratam restitueret. Atque feliciter successit coeptis; Ut domi rebellantes principes, Dedonem et Ottonem prostraverat, ita etiam apud exteris nationes regni honorem tuebatur, quumque jam, Adelberto comite, expeditionem in Ungariam fecisset, 2) a. 1069 Luiticos hieme necopinata incursione ad deditionem coegit. 3) Domi forisque igitur regni opes invaluerunt.

Jam quum rex Dedone victo (1069) Adelbertum propter fidem semper in prosperis et adversis spectatam in curiam revocare ausus esset, Ottone profligato, (1070) eo processit, 4) ut in pristinum locum eum restitueret, ei denuo rerum publicarum curam delegaret, ex ejus auctoritate omnia ageret. Atque Adelbertus, quamvis cautius cum principibus ageret, 5) haudquaquam calamitate sua a consilio suscepto deterritus est, neque dubitari potest, quin magis regem in Saxones inflammaverit.

Verum quum principes intellexissent, Henricum id summa vi moliri, ut quae jura ipsi tamquam domini occupassent, repeteret, fieri non potuit, quin odio eorum jam in totam Salliam stirpem concepto novi stimuli adderentur. Tyrannum igitur eum judicabant, qui contra jus fasque legitimam rei publicae statum dissolvere legesque a patribus hereditate acceptas infringere vellet. 6)

Neque aliter de eo plurimi temporis illius auctores judicant. Ut Brunonem aliosque praetermittam, etiam Lambertus, quamvis non ut Bruno de industria fabulas de rege confinxerit, praecoccupato judicio ei tyranni personam imponit. Etenim hic remotus a civitate gerenda, per taesus vitae inter pericula et tumultus agitatae non intellexit, quid haec certamina inter regem et principes gesta sibi vellent, neque vim, quae inesset in Henrico consiliis, mente consecutus est. Quum persuasum haberet, rerum summam ex jure aequae ad principes atque ad regem pertinere, et Henricum non tam certa ratione agendi quam temerariis libidinibus motum imperiose jura legesque Saxonum tollere studere, 7) pronus erat principum Saxoniae partibus.

Pessimum igitur vocat exemplum Wormaciensium, 8) qui regi suo fidem servarent. Ad annum 1073 refert, regem in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiae et tempe-

1) Bruno de bell. Saxon. 53.

2) Lambert 1063. Adam. Br: 3, 42.

3) Siegebert 1069.

4) Adam Br: 3, 57: Adelbertus post triennium expulsionis suae voti compos effectus, in pristinum gradum curiae restitutus est, mox etiam, succedentibus prosperis — id est haud dubie Ottone e curia ejecto. —

5) Adam. Br. 3, 58 caute ambulandum esse erga principes deliberavit.

6) Lambert 1076: „hanc regis et tyranni esse distantiam, quod hic vi et crudelitate obedientiam extorqueat ab invitis, ille legibus ac more majorum moderetur subjectis praecipiatque facienda.

7) Lambert. 1075: „contra leges et scita majorum.“

8) Lambert. 1074: Colonienses pessimum exemplum (Wormaciensium) aemulati, suam quoque devotionem erga regem insigni aliquo facinore regi gratificare volebant.

rantiæ frenis, præcipitem se dedisse, quæ flagitia qui sint intelligenda, ex verbis illa sequentibus facile intelligitur.

Spectant enim hæc „flagitia“ ad arces in Saxoniae montibus conditas malaque inde accolis importata. 1) Similis ratio est locorum, qui sunt apud Lambertum 2) Neque lasciviæ regis vel ætatis accessus vel ratio modum faciebat, sed cottidie se ipso deterior efficiebatur, et ruptis omnibus humani, ne dicam christiani, pudoris frenis in omne quod animus suggestisset flagitium præcipitantiore ruebat: et oppressis jam terrore principibus, nullus erat etc., „præterea“ auctoritatem eorum (principum), si copia fieret, opprimi ac penitus obliterari cupiebat, ut in omne quod animus suggestisset, effrenata libertate grassanti nullus obsisteret, nemo obloqueretur. Etenim quum nusquam certâ flagitia referantur, pro rato habendum est, Lambertum nihil, nisi impetus a rege „in scita et leges majorum“ factos studiumque ejus, regias opes supra principum auctoritatem longe evehendi, significasse. Ad hoc præoccupatum Lamberti in regem studium accedebat oratoria quaedam indoles linguæ latinæ ingenita, qua ductus Lambertus non raro verbis „flagitia“ illa exaggeravit atque in deterius pinxit. — In hac magna inter Henricum et principes de summa rerum contentione ne nos quidem infitiamur, eum juvenili ardore et nimia nonnumquam iracundia abreptum temere et inconsulte in adversarios consuluisse — quam ob rem si quis eum reprehendendum esse censeat, reputet secum, quantum odii inde a teneris a Saxonibus expertus sit — sed nimium quantum contendimus Henricum distare a tyranno. —

Quum igitur opes imperii in dies crescere coepissent, Magno duce una cum Ottone capto rex opportunam occasionem multum in opere proficiendi atque viam sibi in Saxoniam aperiendi nactus est. Etenim duces Saxonie, ut non totam provinciam, sed orientalem tantum partem ejus administraverint 3) plurimum tamen apud Saxones valebant auctoritate, 4) ab iisque hereditarii quidam avitæ libertatis propugnatores ducebantur. Sicut jam prioribus temporibus omnes Saxones a Bernardo duce ad arma contra regem capiendâ permoti erant, 5) ita quum Magnus dux a rege in custodia teneretur, impediti sunt, quominus in apertam seditionem prorumperent. 6) Quare ut tandem aliquando sedes deesset, quæ concurrerent, qui contra regem agere vellent, 7) Henricus, Ordulfo duce mortuo, ipsum ducis munus, quod Billungi beneficii loco acceptum tamquam dominium usurpaverant, prorsus tollere conatus est, atque se Magnum, Ordulfi filium non ex captivitate dimissurum esse dixit, 8) „nisi ducatu aliisque, quæ jure hereditario sibi competere, in perpetuum se abdicaret.“ Quo munere sublato, quantopere regie postestatis opes auctæ forent, apparet. Provincia enim hæc, dirempta usque eo a regno, arctissimo vinculo ei adjuncta, vasalli minores non distracti amplius et distenti duplici regis et ducis religione ipsi regi majore cum fide annexi forent.

Huc etiam locus Lamberti multum jactatus referendus mihi videtur esse: 9) „rex . . . magnum quiddam et a nullo majorum suorum antehac temptatum machinari coepit, videlicet ut omnes Saxones et Thuringos in servitum redigeret et prædia eorum

1) Lambert. 1073.

2) Lambert. 1075. 1076.

3) Annalista Saxo 1072: dux orientalis Saxonie

4) Adam. Br. 3, 55: villici et servi ducibus erant fideliores, quam episcopo id quod (idem erat,

5) Adam. 2, 40. atque regi)

6) Bruno 21: ducem reddere noluit, quia dum illum in vinculis tenebat, securus a bello Saxonie fuit. —

7) Lambert 1073 de cujus (ducis) interitu sibi totius Saxonie interitum promiserat. —

8) Lambert 1073.

9) Lambert 1073.

fisco publico adjiceret.“ Sublato enim munere ducis, ea pars Saxoniae, quae sub ducibus fuerat, in ipsius regis dittonem veniebat; omnia servitia, antea ducibus solvenda ad fisco publicum redibant. cf. Eccard. Cas. IV. St. Gall: „nondum enim illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie Francia.“ Patet ex hoc, quid causae sit, cur postea tertia solum eaque orientalis Saxoniae pars in rebellionem persistit; ad illam enim partem ducis auctoritas pertinebat; „omnes Westphali et circa Misnam habitantes (auro regis corrupti) defecerunt.“<sup>1)</sup> Facile autem quum incerti omnium rerum de rege jam male suspicarentur Saxones metus subiit, ne rex totam Saxoniam in servitum redigeret, nisi forte ira instigati rem per se haudquaquam inhonestam intolerabili illo servitutis nomine significaverunt.—

Quantum rex in abrogando hoc ducis munere posuerit, inde apparet, quod quum postea Ottonem sibi reconciliaturus esset, ei non ipsum Saxoniae ducatum, sed vices suas in Saxonia et publicarum rerum procuracionem concessit.<sup>2)</sup>—Quibus causis Thuringi ad rebellandum moti sint, jam supra explicatum est; neque credibile est, quod tum fama percrebuerat, regem id genus consilia etiam in Suevos molitum sese,<sup>3)</sup> quum hunc populum regi acceptissimum fuisse Lambertus tradat.<sup>4)</sup> Ad haec regis consilia non referenda sunt tributa, quae Henricus, pugna apud Unstrutam commissa, ex agris captorum Saxonum, seditionis poenas ab iis repetiturus, exegit.<sup>5)</sup> Quae quominus solverent Saxones, Herimannus, frater Ordulfi ducis, et Thiedericus de Kathalanburg, e captivitate elapsi, prohibere studebant, conclamantes: „nolite, optimi Saxones, nolite servitutis juga recipere, nolite hereditariam vestram tributariam facere —retinete manus a tributis solvendis, retinete vestras possessiones liberas, sicut liberas eas a parentibus vestris accepistis“<sup>6)</sup>

Henricus autem quum non ignoraret, Saxones talibus conatis veterem provinciae formam dissolventibus solita cum pervicacia repugnatos esse, ut facilius adversariorum vim sustineret, cum Suenone, Daniae rege, Bardewici foedus iniiit (1071.)<sup>7)</sup> Quod quidem foedus auctores quidam nostri temporis, caeco domesticarum rerum studio ducti, parum respecta aevi illius ratione, Henrico maximo probro dederunt; eum enim quod cum extero rege contra suum populum egerit, criminantur. Sed hoc longe secus est.—

Etenim quum omnino episcopi ecclesiae Bremensis apud populos septentrionalis Europae magno in honore essent, plurimum apud eos Adelbertus episcopus auctoritate sua valebat; qui, etsi consilium patriarchatus in illis regionibus instituendi non exsecutus est, ad id tamen fastigii Bremam evexit, ut undique homines eo confluerent, et hanc urbem tamquam caput omnium septentrionalium regionum Europae maxima cum verecundia colerent.<sup>8)</sup> Quare factum est ut etiam Sueno rex Daniae, accensus siti doctrinae christianae et devinctus verecundia magna Adelberti, ejus consuetudinam peteret, atque crebris conventibus cum eo ad Egdorem habitis colloqueretur<sup>9)</sup> Quam familiaritatem ut arctiorem firmioremque faceret, persuasit Adelbertus

1) Bruno. c. 37.—

2) Lambert 1076.

3) Bruno 17

4) Lambert 1073

5) Bruno 60: apud nos, qui tributa de regionibus exigerent, reliquit.—

6) Bruno 81.— Ingensise de his quae rex in Saxonia intenderit, conjectit Schaumann: *Meister sächsische Geschichte*. p. 193.

7) Adam. Br: „ad contumeliam ducis habitum,“ quem modo in deditonem acceperat.

8) Adam. Brem. 3, 14, posthabito papa eum expetebant.

9) Adam. Brem. 3, 20.



regi Henrico III, ut cum Suenone in Saxoniam conveniret et foedus cum eo iniret; <sup>1)</sup> atque, si extraneo auctori fidem habere licet, etiam arctiore vinculo regno adjunctus fuit. Etenim „Suanum, ut imperator ei mandasset, cum sua classe in expeditione contra Balduinum, comitem Flandrensiū affuisse, et ea vice fidelitatem imperatori juravisse,“ Florentius Wigorniensis tradit <sup>2)</sup>. Quare Henricus quodammodo vasallum suum ad praestanda debita stipendia contra Saxones evocavit.—

Audacior tum et crescente in dies animo res a rege gerebatur. Principes, nisi qui spectatae fidei essent, prorsus a republica gubernanda removit, neque dubitavit, nonnumquam posthabito genere et familia hominibus mediocri loco natis, sed „manu et consilio promptissimū“ <sup>3)</sup> rerum publicarum curam committere <sup>4)</sup>, Saxonum autem consuetudinem moresque adeo neglexit, ut ad res eorum administrandas Suevos maxime in consilium adhiberet, sicut posteriore tempore Friedericus Wilhelmus, magnus princeps elector, ne praecoccupato indigenarum sententiis ab emendanda republica impediretur, saepenumero alienigenis consiliariis usus est. Hoc omnium, quae Henricus exsecutus est, aegerime tulerunt principes, eaque fuit summa querelarum et criminationum, quae in Henricum ab iis prolatae sunt. <sup>5)</sup>

Rex vero quum tantum de se metum illo tempore commovisset, ut palam ei nemo resistere auderet, <sup>6)</sup> jam coeptus est clandestinis motibus oppugnari, idque a duabus factionibus, principum altera, altera ecclesiae, quae quamvis haud iisdem studiis traherentur, iisdem commodis adductae se conjunxerunt.

Primum principes, inter quos antea magna aemulatio fuerat, communi periculo, ut idem sentirent, moti sunt, itaque inter Rudolfum, Sueviae ducem et Saxonum principes, quorum rem tum Otto agebat, foedus ictum est, 1071 <sup>7)</sup>. Cujus conjurationis quum rex audivisset rumorem, Rudolfum ut causam diceret, accessit, sed idem deinde, ut reconciliaretur cum eo, magno cum detrimento regni matris precibus se commoveri passus est. Illius autem foederis plures Germaniae principes consocii et socii fuerunt. <sup>8)</sup>

1) Apud Adam. 3. 8 legitur: archiepiscopus fertur regem ab Italia revertentem Bremam vocasse, occasione data, quasi Lismonam visere deberet „vel regem Danorum invitare ad colloquium“; hoc colloquium idem esse videtur, cuius 3. 17 mentio fit „persuasit Caesari, ut evocatus rex Danorum in Saxoniam, uterque alteri perpetuam juraret amicitiam.“ atque referendum est ad annum 1048, qua eodem anno, conjuratio a Thiedmaro comite in regem factae est id habitum esse Adamus tradit. . 3, 8.

2) Florent. Wigorn. apud. Pertz VIII, 342.

3) Lambert, 1076.

4) Tales fuerunt: Ulrich de Kosheim, Eberhard de Nellenburg, Eberhard comes, Ruotpert (incentor consillorum regionum L. 1075) Friedericus de Hohenstaufen et alii.

5) L. 1073, ad eorum nutum cuncta regni negotia disponebantur. Quae res eum valde exosum invisumque principibus reddiderat, et eorum plerique rei indignitatem non ferentes „in totum palatio abstinebant“ Ejusdem rei Berthold. auctor est a 1073.—cf. Eccard. Uraug. 1068.—Postea id circo postulant Saxones, in Saxoniam Saxonum consilio cuncta disponenda diserneret, nullumque extraneae gentis hominem suis rebus consiliatorem admitteret. Bruno. 31. Lambert. — Caeterum Lambertus etiam episcopus Epponem et Bennonem in numero illorum obscuro loco natorum habuisse videtur, qui referat ad annum 1073, rex eorum (Epponis et Bennonis) consilio et prius tranquilla et nunc turbata republica omnia faciebat.—

6) Bruno 18.

7) Ad hunc annum mihi id quod Bruno de hoc federe tradit, referendum esse videtur. Eo enim tempore, quo Otto Bavariae ducatu privatus est, Rudolfo tanta cum rege familiaritas fuit, ut ejus intercessione Welfo ducatum acciperet. Nimirum vir ille abjectus haudquaquam aegre tulit, quod aemulus, a quo se majora consecuturum esse parum speraret, de medio tolleretur. Deinde, Ottone a ducatu remoto, communi periculo cum eo conjunctus est. Quum vero Saxones in breve tempus cum rege in gratiam redissent, Rudolfum iterum timor incessit, ne Otto, recuperato Bavariae ducatu viam ad regnum perveniendi sibi praecluderet, quare ut regi reconciliaretur, effecit, eumque ad poenas gravissimas a Saxonibus rependendas impulit.— Non igitur Lamberto credendum est, Rudolfum a culpa remotissimum

8) Tuisse. Bruno. l. l.

Praeterea sub idem tempus Siegfridus archiepiscopus Moguntinus, cujus iram commoverat, quod decimae ex Thuringia non redierant, Burchardi et Wernheri episcoporum <sup>1)</sup> intercessione Annonem ad ineundum secum foedus commovere studuit, ut rerum summa iterum ad episcopos, praecipue ad se et Annonem rediret. <sup>2)</sup> Num ad Annonem vilissimi istius hominis consilia pertinuerint, pro certo dici non potest, neque verisimile est propter prudentiam ejus; semper enim ita se gesserat, ut a rege non deprehenderetur. Contra eum omnium illius temporis conjurationum conscius fuisse et rebellantium partibus fuisse, alii scriptores suspicantur, alii criminantur <sup>3)</sup> Cum his machinationibus cohaesisse videtur principum et plebis, Adelberto 1072 mortuo, Trajecti orta, qua Henricus coactus est, ut iterum Annonem, indefessum illum et pertinacem avitarum legum defensorem in gubernandae rei publicae societatem arcesseret. Neque tamen diu is locum suum obtinuit. Nam quum vidisset, consilium suum in dies minus valere, rerum regimine prorsus se abdicavit, quod a vitae civilis tumultu in monasterii solitudinem recessurus esset. Sed non desiit, quantum ex tuto poterat, motus intestinos fovere, neque ulla seditio illius temporis, eo imprudente, facta est. <sup>4)</sup>

Dum vero hoc modo principes et episcopi cum rege de summa rerum certant, aliud ei et multo majus periculum a nova illa ecclesiasticorum factione oritur. Hi enim, qui usque eo in claustrorum solitudine ab hominum consortio remoti, omnem curam et cogitationem in precationibus et rerum coelestium contemplatione collocaverant, subito ab animarum cura ad curam rerum publicarum conversi, id agebant, ut monachorum mores ordinemque supra omnem humanam dignitatem eveherent et ipsam regiam potestatem sub ditio-nem suam-redigerent. Jam quum Annonis studio Adelbertique desidia in Italia auctoritas eorum crevisset, magis etiam invaluit prohibito rege, ne divortium faceret cum uxore.— Huic factioni ut omnes Germaniae principes ita praecipue Saxonici, haudquaquam religione et verecundia ecclesiae et papalis majestatis sed solis commodis, quae inde sibi redundarent <sup>5)</sup> ducti arcte se adjunxerunt, atque quum primo Siegfridum, Moguntinum metropolitanum, Adelbertum Wormaciensem Adelberonem Wirceburgensem, Gebhardum Salzburgensem, aliosque qui ecclesiasticae factioni vel ambitione vel ex animi sententia adhaerebant, sibi socios ascivissent, per hos ad ipsum papam Alexandrum querelas et criminationes detulerunt, <sup>6)</sup> quibus permotus est, ut Synodo 1073 Romae habita, regis consiliarios excommunicaret,

1) Episcopi illi, qui Annoni munera accepta referebant, omni modo ejus commoda tuebantur. Ad. Br: „qui et fautori suo in temptationibus deori auxilioque fuisse certant“ Burchardus praeterea qui, „regius advocatus“ cum Annone in Italiam missus erat, „sincera affectatione pro Alexandro et ecclesia Romana“ a papa maximum honorem peperit, et a rege fomes et incentor rebellionis Saxonum habitus est.— Uterque homo idcirco regi maxime suspectus et in visis suis, neque mirum est, quod Henricus in agros eorum incursiones fecit Bruno 26 —

2) Bruno 18: literas Siegfridi ad id tempus referendas esse, quo ne Ottonis quidem auctoritate rex movebatur, ex toto hoc capite patet.—

3) Eceard. Urang. 1072 Lambert 1073 Ad. Br.

4) Pejús, quam Lambertus, qui laudibus Annonis integritatem et incorruptam justitiam effert, Colonenses cives de eo existimaverunt „qui tollens injusta praeciperet, tollens innocentibus bona adimeret“. Neque congruit cum laude Lamberti injuria mercatori Coloniensi illata.—

5) Ad. Br: 3, 47. Duces deriserunt Adelbertum, qui „anathematis gladio contemptores percussit“ Praeterea cf. literas Saxonum papae scriptas apud Br. 109. 112.

6) Acceptissima principibus fuit sententia illorum de humilitate regiae potestatis, conf. epist. Gregor. apud Brunonem 73: „quis nesciat, reges — ab his habuisse principum, qui deum ignorantes, superbia rapinis, perfidia, supra pares scilicet homines dominari affectaverunt.“ Ut in verbis illis Gregorii primordia insunt doctrinae illius, quam postea Jesuitae excoluerunt, qua ad populum jus constituendae republicae pertineat, ita fundamenta doctrinae, qui diei-tur hodie „Socialismus“ insunt in his: „potestis in terra imperia, regna, principatus marchias, comitatus et omnium hominum possessiones tollere et meritis concedere.“

7) Eceard. Chron: Un. 1072. Bonizo p. 810.

regem ipsum literis „pro symoniaca heresi aliisque nonnullis emendatione dignis ad satisfaciendum“ vocaret. Saxones hac de causa postea bellum, quod pro suis commodis suscepissent, pro ecclesiae salute initum haberi voluerunt; <sup>1)</sup> nimirum rati, „militibus ecclesiae“ facilius condonari, perfidiam qua in regem usi erant Rex autem non assecutus est, ut vires omnes illo tempore in eum conjunctas uno quasi obtutu comprehenderet, quumque ad pericula a principibus imminencia animum animadverteret, non satis respexit pericula ab ecclesia sibi exoritura.

Quum igitur in regno omnia Henrico infida essent, et occultae ubique conjurationes, in Saxonia prima indicia earum apparebant. Jam ubi primum rex Adelbertum consiliarium nactus est, coepit in montibus nonnullis Thuringiae et Saxoniae castella exstruere, quae medios inter tot insidiatores receptui et praesidio essent (rex „coepit privata praesidia, nimirum potentibus regni non satis fidens, instituere“ Eccard. Ur. 1068,) atque principes Saxoniae, quamquam id genus munitiones aegerrime ferebant, Adelbertique, quae in episcopatus sui finibus condiderat castella, vix confecta solo adaequaverant <sup>2)</sup> tam parum solliciti fuerunt de iis, ut ne tum quidem ea destruerent, quum iis expulso Adelberto ejus rei facultas esset. <sup>3)</sup> Etenim quum pauca tantum eaque in desertis locis, nullo jure laeso condita essent: puerili regis ludibrio esse videbantur, nec ullum inde periculum imminere. Verum rex, Ottone a republica remoto, quum majores sibi sumeret spiritus, veteribusque castellis praecipue in Thuringia nova adderet, <sup>4)</sup> Saxones ea maxime suspecta habere coeperunt. Quum antea igitur accolae cum militibus, qui in castellis erant, concorditer vixissent, et ultro, quae usui essent iis, obtulissent, subito victum et servitia renuebant. <sup>5)</sup> Quare rex militibus, qui inopia frumenti urgerentur, permisit, ut sibi denegata ex agris ipsi conquirent, qua in re neque rixas cum iis, qui ea detrectarent, neque pro rudibus illius temporis moribus graviores injurias defuisse apparet. Sed mala illa ad Thuringos praecipue, quorum in finibus castella plurima sita erant, pertinuisse, jam Delius <sup>6)</sup> luculentissime ostendit. Unum enim castellum tantum in Saxonia fuisse docet. Quod castellum quum rex omni modo Saxonibus gratum facere voluerit et fratrem filiumque suum ibi sepeliverit, <sup>7)</sup> ab omni fide recedit, eum ultro inde accolis mala intulisse, praesertim quum circumjacerent multae regales curtes, <sup>8)</sup> unde victus suppeteret. Quare, si qua inde facinora patrata sunt, vix dubito, quin Henricus Saxonum protervitate ad ea sit lacessitus. <sup>9)</sup> Neque defuisse intestinos motus per annum 1072 e Bernoldo appa-

1) Etiam eo impudentiae prolapsi sunt postea, ut dicerent: „opprimimur non ob aliam causam nisi quod sedi apostolicae dediti fuimus Bruno.“ 112.

2) Adelbertus jam ut primum ad rempublicam gubernandam accessit, anno 1063 castella ad tuendos agros condidit, Adam. 3, 36: „tunc levata sunt ista castella, quae vel maxime nostros ad iram, incenderunt,“ quae insequenti anno a ducibus diruta sunt.— Adam. 3, 43.— Quae Bertholdus ad annum 1064 de „seditione magna inter Adelbertum et principes regni orta“ narrat, sine dubio ad annum 1066 referenda sunt. Etiam castellum, quod episcopus in Sollenberg“ condidit, ab accolis, qui a ducibus sollicitati erant, eversum est Adam. 3, 25.

3) Ad hoc tempus spectare mihi videtur locus Brunonis: „et non solum ea fieri, cum jam possent, non prohibebant“ Br. 16.

4) Haec castella in Thuringia illo demum tempora condita esse, quo regis opes valde auctae erant, ex literis Siegefridi ad Burchardum datis apparet: „quod rex in episcopatus suo (i. e. in Thuringia) loca praedationibus apta elegisset, positisque inibi castellis et praesidiis, multa mala rebus suae ecclesiae faceret.“ Eadem castella Bertholdus et Lambertus dicunt, ubi castella anno 1072 et 1073 condita referunt. Caeterum Lambertus non ignorat, jam antea nonnulla existisse cf. Lamb. 1073: „haec sunt castella, quae ipse, postquam pater ejus decesserat, extruxit.“

5) Lambert. a. a. 1073 „quibus, quum victui necessaria minus sufficerent, permisit rex, ut ect.

6) Delius: Untersuchungen über die Geschichte der Saßburg. §. 12.

7) Lambert. 1074 „fratrem et filium, quos ille ad gratificandum popularibus locum ibi tumulaverat, effoderunt.

8) Saxones, postquam „Arcipollim“ diruerunt, „multas regales devastant undique curtes“ Histor. d. b. saxon. III, 26.

9) Caeterum non mirum est, quod ab uno jam castello Saxonibus metus fuerit. cf. Chronic Gozicense: 1, 29: „per eundem abbatem castrum restauratur, quod ex antiquo Wassenburg nominatur. Hojus plurimorum et frequentium militum potentia tota Thuringia contremuit provincia.“—

ret, qui ad annum 1072 refert: „Henricus rex paene sine difficultate bellorum sibi reluctante vicit.“ Etiam Otto dux et Herimannus, frater Ordulfi ducis propter Magnum, qui captus a rege retineretur, denuo coeperunt contra regem agere,<sup>1)</sup> atque hoc ipso tempore, quo incerta pax fuit in Saxonia, castellum Luneburg<sup>2)</sup> a rege occupatum esse videtur.—

Tandem sociis undique quam plurimis comparatis, Saxonum principibus occasio oblata est, aperte se regi opponendi.—

Henricus, qui, ut supra jam diximus, id omni modo intendebat, ut auctoritatem regni apud externas gentes tueretur, quum inter Boemios et Polonos controversiae ortae essent, ad decus imperii interesse ratus est, eas regis auctoritate discerni. Jam anno 1071<sup>3)</sup> igitur utriusque populi duces jusserat finibus se continere neque alterum alterius agros incursionibus turbare, ei qui prior arma movisset, se gravem vindicem fore. Principes quum regi primum morem gessissent, mox novum sibi invicem bellum fecerunt, quare Henricus, causam Polonis tribuens,<sup>4)</sup> poenas violatae pacis ab iis repetiturus, principes regni ad expeditionem contra eos suscipiendam evocavit.<sup>5)</sup> Quam causam amplexi Saxonie, quod a se vix Luiticiorum bellum propulsarent, consensu et praesidio ceterorum principum freti, stipendia longinqua in Polonos detrectarunt.

Restabat, ut principes sprete imperii apud populares causam et juris quandam speciem praetexerent. De industria igitur sparserunt rumorem, expeditionem hanc regis non tam ad Polonos, quam ad Saxones spectare, atque Otto, in quem tum omnium oculi animique erant conversi, eas suscepit partes, ut popularium animos in principum partes traheret. Magna igitur Saxonum multitudine convocata,<sup>6)</sup> ea, quae rex in ipsos moliretur, exposuit; id quod eo magis necesse fuit, quum plerique ne causam quidem tanti conventus nossent. Orsus a malis praesentibus injuriisque quotidie ex arcibus accolis illatis,<sup>7)</sup> toti inde Saxoniae ruinam et interitum imminere finxit, deinde captiosis argumentis<sup>8)</sup>— quae ex quo fonte manarint, facile intelligitur: a parte ecclesiastica enim haud dubie subministrata sunt — quum omnem regii nominis religionem exstinxisset, eo impudentiae processisset, ut Saxones laudaret, „qui regi prae ceteris gentibus suae ditioni subjectis fideles semper extitissent.“<sup>9)</sup>

Deinde, ut ingenia exasperata magis ad rebellionem concitarentur, singuli principes querelas suas in publicum protulerunt.

Quare quum statui possit, summas gravissimasque Saxonum querelas hic in unum esse collatas, operae pretium est, quaenam illae fuerint, accuratius expendere. Werinherus, archiepiscopus Magedaburgensis questus, civitatem suam bis a rege caedibus et incendiis vastatam esse,<sup>10)</sup> quasi ipse argumentis suis non satis fideret, se communi mala non minus, quam

1) Lambert 1073 „Ceteri duo (Otto et Herimannus) etiam privato odio jam pridem a rege desciverant.“

2) Castellum Luneburg non anno 1071, sed paullo ante ortam Saxonum seditionem occupatum esse ex Lamberto (cf. 1073 „Herimannus milites regis, quoniam temere ingressi alimenta non habebant, paucis diebus ad deditiorem coëgit“) et ex Brunone (Cap. 21 et 26.) apparet; quare etiam colloquium illud, cujus apud Brunonem mentio fit, si revera occupationem Luneburgii insecutum est, aliud est atque illud, quod ab Adamo commemoratur. Neque a fide abhorret, duo fuisse colloquia, quum saepius adiret Sueno rex ad septentrionalem Germaniam.

3) Lambert 1071.

4) Martinus Polonus 1, 24 culpam Bohemis tribuit.

5) Luce clarius est, regem revera Polonos illa expeditione petivisse, quum praeterquam quod a Rudolfo ceterisque regni principibus ad talia exsequenda nihil auxilii expectare poterat, demeritis fuisset, ad subjiciendos Saxones ipsum hunc populum ad arma vocare.—

6) Bruno, 25 et 26.

7) Bruno l. l. „Bona vestra, qui juxta manetis, vobis invitis, in ipsa castella deportantur.“

8) Br. l. l. „dum mihi rex erat etc.—“

9) Br. l. l.

10) Vide not; p. X. a. 1.

sua dolere, dicit. Burchardus, <sup>1)</sup> episcopus Halberstadensis regem; quod praedia nobilis cujusdam, quae de jure ecclesiae suae deberent, injuste sibi abstulerit, criminatur; de Ottonis et Dedonis querelis quid statuendum sit, ex iis, quae supra de illis dicta sunt, patet neque plus tribuendum est Friederici, comitis palatii, criminationi, quod rex sibi beneficium abbatiae, quae dicitur Herolfesfelde, eripuerit. Henricus enim, praedia, quae principibus beneficii loco tributa erant, prohibitorum, ne ea tamquam domini possiderent, saepius iis abstulit. Ita Dedonem non passus est ea beneficia habere, quae antecessoris fuerant, etiam Luitoldum quendam, comitem ab Achalmin, beneficio quodam exiit. <sup>2)</sup> Denique Friedericus de Monte et Wilhelmus, „rex de Lotheslove“ queruntur, quod rex alteri libertatem, alteri hereditatem eripere voluerit. <sup>3)</sup> Sed rex eos verbis magis, quam factis vexavit, et ad eam ipsam vexationem ab altero certe, Wilhelmus, eum esse provocatum, ex Brunonis verbis conjici potest: „rex eum tanta crudelitate persequitur, quia multa ei erant praedia, sed non multa sapientia.“ Quos nobiles id praeterea suspectos facit, quod postea a Saxonibus ad Henricum defecerunt. <sup>4)</sup>

Quum vero omnino non alii, quibus Henricus praedia abstulerit, a scriptoribus afferantur, apparet, omnes ceteras id genus criminationes in regem factas huc esse referendas, ut Brun. c. 42. „semper nos insolito more quaerebat opprimere, bona nostra nobis eripere, suisque familiaribus contradere,“ praeterea Lambert. 1073. „ut principibus, quibus sine legitima discussione bona ademerat, satisfaceret,“ tum „patrimonia per vim seu calumniam crepta restituat“ et a. <sup>5)</sup>

Ex querelis his apparet, tum Henrico rem fuisse non nisi cum principibus, tum ipsas principum criminationes nugatorias et inanibus rebus niti neque ea fuisse principum argumenta, quibus vim et arma in regem excusarent.

Etsi igitur Henricus tam incerto rerum statu, inter continuas seditiones intestinas non semper legum aequitatem servavit, atque illud fortasse jus, quod Saxones a Caroli Magni temporibus semper maximi habuerant, nonnumquam violavit, „ut si quisquam suorum cum aliquo de Saxonibus contra legem ageret, ipse a die factae sibi proclamationis infra sex septimanas digna illud emendatione componeret,“ <sup>6)</sup> nullo tamen modo credi potest, regem de communi libertate aliquid detracturum fuisse, <sup>7)</sup> vel etiam, sublatis legibus et judiciis expilationem et dirptionem totius Saxoniae intendisse. Sicut igitur adversarii Henrici ex protervis ejus mo-

- 1) Burchardus hoc loco non facit mentionem „frequentium injuriarum,“ quibus, Lamberto auctore ab Henrico lacessitus est.
- 2) Berthold. Zwifalt. Chron 6: „Luitoldus nulli vim intulit, nulli aliquid rapuit, nisi regi Henrico cui Nuringin oppidum aliaque in finibus posita praecoccupando rapuit . . . , quod idem rex eo quod ei communicare noluit villas Bachilingen, Notzingin atque omnia, quae in orientali Francia in beneficio de episcopatu Wireiburg habebat, plus quam mille mansus ei abstulit.“ cf. etiam Annal. Altah. a. a. 1069. si iis fides habenda est, ubi refertur, regem duodecim Franciae nobilibus beneficia abstulisse. — Caeterum Saxones non dubitaverant, praedia, quae regis erant, sibi vindicare. Bruno. 42: „praedia quae querebatur (rex) ablata“ legatis ipsius reddimus, donec ipsi legati dixerunt, nihil esse reliquum, quod reddere deberemus.
- 3) Lamberti verba, quae leguntur a. a. 1073 (p. 195) „rex nonnullos objurgabat, cur sibi non serviliter servirent, nec de redibitus suis fiscalia obsequia impenderent,“ ad eosdem viros spectare videntur.
- 4) Bruno 45.
- 5) Caeterum pars orationis illius, quam Bruno Ottoni tribuit, e Sallustio petita est. Praeter locum, e belli Jugurthini c. 31 haustum, verba „nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram et inhonestam, ubi illorum superbiae ludibrio fueritis per dedecus amittere“ e Catilinae c. 20, et verba sequentia „non contra patriam arma capio, sed pro libertate mea, quam nemo bonus nisi cum anima amittit“ e Cat. 33 petita sunt. —
- 6) Annalista Saxo. 1085. Hoc jus numerandum est in „legitimis, genti Saxonum a primis temporibus constitutis“ — Lamb. 1073.
- 7) Henricum contra tuitum fuisse publicam libertatem, jam inde apparet, quod urbes eximta in principem gratia conspicua sunt. Bruno 95 „maxima exercitus pars e mercatoribus fuit.“


ribus, qui in principe nulla commoda laedente vix in reprehensionem incidissent, crimina confinxerunt, „quae pessima et immundissima odium potuit excogitare,“ 1) ita principes facinora supra indicata eum in Saxones moliri commenti sunt, quo melius nomine restituendae libertatis uterentur. Quod quum rex non ignoraret „dedignatus est postea, irasci in rusticos, et in maximos Saxoniae homines iram accendit,“ 2) deinde se non omnibus, dixit crimen hoc (seditionis) intendere, sed paucos fuisse principes, qui imperitam multitudinem hac rabie inflammassent.“ 3) Ipsa plebs Saxonum ideirco principibus postea succensuit „quod eam ad sumenda contra regem arma importunis suasionibus impulissent.“ Lambertus denique ad a. 1076 „non callidis, inquit, principum exhortationibus, ut antea concitatum vulgus ad arma prosiluerant.“—

Quamquam igitur plebis et principum commoda haudquaquam inter se congruebant, regisque consilia ad solos principes pertinebant, non tamen regi contigit, ut utrumque ordinem dissociaret plebemque in suam partem traheret. Populares enim suis principibus magis dediti fuerunt, quam regi, et omnes, quae ab iis audiverant, criminationes ratas exploratasque haberunt. Quare omnium vires in unum conversae sunt.

5) Vita Henrici Haë fabulae a monachis per omnes Germania partes ferebantur. Chronic. Affligemense 8. Vulfodo quidam „ad Theodoricum episcopum Viridunensem perrexit, accusans duos monachos de ipsius episcopatu fugisse, qui in Brabantiam venientes multa nefanda tam de ipso quam de imperatore diffamarent.“—

4) Bruno 34.

4) Lambert. 1075.



1) Burchardus hoc loco non facit mentionem „reclamantem imperantem“ quibus Lambertus addit: „reclamantem imperantem“  
2) Burchardus Saxonum regem „in Saxonia nonnulli regni principes“ quibus Lambertus addit: „in Saxonia nonnulli regni principes“  
3) Lambertus hoc loco „quod regem a. 1075 in Saxonia“  
4) Lambertus hoc loco „quod regem a. 1075 in Saxonia“  
5) Lambertus hoc loco „quod regem a. 1075 in Saxonia“